

quitur personarum index, et p. 4. ipsa incipit tragoedia. — Ex hac fluxerunt

Hervagiana tres, Basil. 1537. 1544. et 1551. editae, quarum secundam, quam possideo, est ubi inspexerim. V. de hac Elmsl. ad Bacch. p. ix. sq.

Brubachiana Francofurti s. a. 8. Edita creditur 1558. Continet nonnullas notabiles lectiones atque etiam versiculos, qui non sunt in aliis editionibus, ex coniectura illata. Non usus sum.

Brodaei editio cum versione Stibilini. Basil. ap. Oporin. 1562. fol. Quae ex hac commemoravi petita sunt ex Beckiano Euripide.

Canteriana Antverpiae ex officina Christophori Plantini, Regii prototypographi 1571. edita opera Gulielmi Canteri Ultraiectini. Possideo et nonnunquam inspexi.

Has editiones non operae pretium videbatur conferre; lubenter tamen, si praesto fuisset, comparassem haec:

Commeliniana. „Εὐριπίδης. Euripidis tragoediae XIX. Accedit nunc recens vigesimae, cui Danae nomen, initium, e vetustis Bibl. Palatinae membranis, Graece iunctim et Latine. Latinam interpretationem M. Aemilius Portus F. C. P. F. passim ita correxit et expolivit ut nova facie, nitidoque cultu nunc primum in lucem prodeat.” cet. Heidelbergae typis Hieron. Commelini. 1597. S. II. Voll. „Textus est Canteri, nisi quod menda nonnulla, quae ex Hervag. in Canter. fluxerant, sublata sunt.” Matth. T. vi. p. xviii. Mihi codicibus usus videtur Palatinis auctor, quippe qui ex Palatino, quem secundo loco nominavi, Danaën petiverit, nec adeo credi possit socors, ut in reliquis neglexerit. Itaque quia in Rheso non collati sunt Palatini, fortasse eorum loco fuerit haec editio.

Stephaniana c. Lat. interpr. Gul. Canteri, scholiis et notis varr. Genevae typis Paulli Stephani 1602. 4. (iii. Voll.). Non habui.

Barnesiana. Cantabrig. 1694. fol. Usus sum ea quam repetitive-runt Morus et Beckius Lips. 1778 — 1788. iii. Voll. 4.

Musgraviana. Oxonii 1778. iv. Voll. 4. Novi ex Beckii editione. Antea prodierunt Sam. Musgrave *Exercitatt. in Eurip.* libri II. LBat. 1762. 8.

Schaeferiana. Lips. 1811. iv. Voll. 16. Rhesus inest vol. iii. hic illic a me inspectus.

Matthiaeana. ix. Voll. 8. Lips. 1813 — 1829. Decimus tomus nunc imprimitur, sed nondum venit. Tomo ii. textus, tomo v. scholia pauca, T. viii. notae continentur.

Glasguensis repetita Beckiana, 1821. edita, quae praeter alias accessiones scholia Vaticana prima habet. Quae cum non extaret in bibliotheca regia, G. Finckii, librarii honestissimi concessit liberalitas, ut cum hac scholia Dindorfianae accuratissime conferrem.

Bothiana. Lipsiae 1825. 8.

Dindorfianae. Altera Ludov. Dindorfii est, Lips. 1825. ap. Teubner. ii. Voll. 8. cuius prius volumen Rhesum continet et schol. Vaticana. Alteram curavit Guil. Dindorfius in Poetis scenicis Graecis. Lips. 1830.

**